

rum, quorum motores sunt Angeli, ut posuit Aristoteles, sed secundum ordinationem Dei, qui produxit superiores substantias secundum majorem excessum, quam inferiores, ita quod sicut corpora incorruptibilia, id est, cœli excedunt incomparabiliter in magnitudine corpora corruptibilia, ita substantiæ immateriales excedunt incomparabiliter in numero, materiales substantias.

In articulo quarto ostendit Angelos differre, et multiplicari solum secundum speciem, non vero esse unius speciei, nec sola individuatione multiplicari, eo quod carent omni materia, et totum quod sunt, formæ sunt: ergo totum quod differunt, formaliter differunt, hoc est specificè, quia distinctio individualis materialis est, et ex parte materiæ fit, non formalis.

In articulo quinto ostendit Angelos simpliciter esse incorruptibiles, licet sint annihilabiles, quia ad hoc secundum sufficit suspensio, et retractio concursus causæ efficientis dantis eis esse: ad primum vero requiritur materia, quæ recepta una forma excludat aliam, et corrumpat, quia corruptio sine generatione non est.

QUÆSTIO LI.

DE COMPARATIONE ANGELORUM AD CORPORA.

SUMMA LITTERÆ.

Tria tractat S. Thomas in hac quæstione.

In articulo primo ostendit Angelos non habere corpora naturaliter sibi unita, in quo perfectam Angelorum naturam explicat, ut distinguitur ab anima rationali, quæ corpori naturaliter unitur ut forma: Angeli autem sunt formæ non unibiles corpori, sed subsistentes in se, quia forma intellectualis non unitur corpori propter perfectionem intelligendi, quin potius per abstractionem a corpore, et materia perficitur intellectio: inconveniens est autem quod totum genus naturæ intellectualis inveniatur in anima humana cum conjunctione ad corpus quod imperficit, et infirmitatem operationem intellectualem, et non detur natura intellectualis non unita corpori, quod pertinet ad perfectionem intellectualis.

In articulo secundo ostendit D. Thomas Angelos assumere corpora, non quidem substantialiter in unitatem personæ, neque uniendo ea sibi, ut formæ, sed ut motori, quia ea formant et movent; et sic non solum secundum imaginationem nostram, sed secundum realitatem externam apparent in corporibus assumptis, et motis, sicut aliquando ita apparent ut videantur ab omnibus, ut Angelus, qui apparuit Tobię, et qui apparuerunt Abraham, et Loth: quando autem multis apparent, non est imaginatio, sed visio. Aliquando amen non apparent oculis, nec assumunt corpora, sed imaginationem deludunt.

In articulo tertio ostendit sanctus doctor operationes quas Angeli exercent in corporibus assumptis non esse vitales ex parte ipsorum corporum, sicut loqui, deambulare, videre, etc. quia non informantur ista corpora vitaliter, sed possunt in eis aliquos motus locales exercere, mediante impulsu, et motu, quæ actiones communes sunt viventibus, et non viventibus, et possunt esse similes motibus vitalibus ex parte effectuum, non ex parte modi vitalis.

DISPUTATIO XIX.

DE EXISTENTIA ET QUIDDITATE ANGELORUM.

ARTICULUS I.

Quid fides doceat circa existentiam, et naturam Angelorum?

I. Multa circa nomina Angelorum, et ea quæ de ipsis antiqui philosophi dixerunt omittenda nobis sunt, et solum ex Scriptura supponendum substantias immateriales quas gentiles, et philosophi, vel deos, vel genios, vel dæmonas, vel intelligentias, vel alii similibus nominibus appellabant, in Scriptura vocari Angelos, et spiritus, sicut dicitur Psalmo ciii: *Qui facit Angelos suos spiritus*: et ad Hebræos i: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, etc.* Ubi utrumque nomen spiritus, et Angeli accomodatur his substantiis spiritualibus, et intellectualibus de quibus nunc agimus. Nam licet hoc nomen Angelus per antonomasiam, et communem usum Scripturæ, et patrum, et Ecclesiæ accomodetur istis substantiis ita ut, sicut dixit Gregorius homilia xxxiv in evangelia: « Angelos et Archangelos pene omnes sacri eloquii paginæ testentur, » tamen ex se vocabulum Angelus, ut ibidem notat Sanctus Gregorius: « Nomen est officii, non naturæ; nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt; quia tunc solum sunt Angeli cum per eos aliqua nuntiantur. » Quare nomen Angelus per se solum non designat nobis substantias illas spirituales, nisi cum etiam nomine

spiritus designantur. Et quia ministerium nuntiandi committitur a Deo communiter spiritibus cœlestibus; et ideo per antonomasiam nomine Angelorum intelligimus spiritus cœlestes, licet aliquando etiam nomen Angeli quantum ad officium nuntiandi hominibus tribuatur, sicut Joannes Baptista dicitur angelus Malachiæ iii, et Matthæi xi, sacerdotes etiam dicuntur Angeli, Malachiæ ii: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini est*: Apostolus quoque i ad Corinth. xi, præcipit velari capita mulierum: *Propter angelos*, id est, sacerdotes.

De his ergo Angelis seu spiritibus aliqua certo constant in Scriptura, aliqua deducuntur ex illa per certam consequentiam, aliqua etiam probabiliter.

II. Certum est primo in Scriptura dari Angelos qui sint superiores hominibus, ut constat ad Hebr. ii, et Psal. viii, ubi loquendo de homine dicitur: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*: et ii Petri ii: *Angeli fortitudine, et virtute cum sint majores*, etc.

Constat secundo has substantias angelicas esse creaturas, quod absurdissime negavit quidam Hermanus Batavus, ut refert Castro lib. ii de hæresibus, verbo Angelus, qui dicebat Angelos non esse a Deo creatos, quia hoc nusquam Scriptura asserit. Quod omnino falsum est, cum Psalmo ciii dicatur: *Qui facit Angelos suos spiritus*. Quem locum adducit Paulus ad Hebr. i, ad probandum superioritatem Christi supra Angelos, quia Christus est Filius Dei, Angeli autem sunt ministri facti a Deo, sic enim ait: *Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis: ad Filium autem: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi: et ad Colossens. i dicitur: Quoniam*

in ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra visibilia, et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt. Ac denique Concilium Lateranense sub Innocentio III in canone Firmiter de summa Trinitate definivit, quod: « Deus sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritua-lem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam. »

Constat tertio ex Scriptura, varia esse Angelorum nomina, tum designantia diversa ministeria, seu hierarchias eorum; tum designantia proprias personas. Quæ designant ordines Angelorum sunt novem, quæ D. Gregorius loco citato colligit ex Scriptura, scilicet Angelos, Archangelos, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Thronos, Cherubim, et Seraphim; de quorum distinctione late, et optime tractat S. Thomas infra quæst. CVIII, artic. V. Similiter varia ministeria Angelorum traduntur in Scriptura, ut quod alii sint assistentes, alii ministrantes, Daniel VII, licet omnes administratorii spiritus nominentur generali nomine ad Hebr. I, quia etiam assistere ministrorum est: quod mittantur a Deo tamquam legati seu nuntii, Lucae I: *Missus est Angelus Gabriel a Deo: Quod custodiant homines, et eos gubernent, Matth. XVIII: Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Et alia similia ministeria passim traduntur in Scriptura. Nomina designantia proprias personas solum in Scriptura sunt tria, scilicet Michael, Gabriel, et Raphael; nec aliis nominibus Angelorum publice possumus uti, et invocare juxta decisionem Concilii Romani sub Zacharia papa anno Domini 745, licet enim in libro quarto Esdræ inveniatur Angelus Uriel, capite quarto et quinto, tamen liber iste non est

canonicus: et sic alia Angelorum nomina quæ fortasse apud aliquos auctores inveniuntur, vel etiam ex aliquorum revelationibus referuntur, probanda non sunt.

Certum est quarto Angelos esse substantias mobiles, idque motu velocissimo, et aliquando esse in cœlo, aliquando in terra, et posse se ostendere hominibus in aliquo corpore assumpto, et ab eis occultari. Omnia hæc ex variis locis Scripturæ deducuntur: nam de motu Angelorum dicitur Exod. XIV: *Tollensque se Angelus Domini, qui præcebat castra Israel, abiit post eos: Danielis III: Angelus autem Domini descendit cum Azaria, et sociis ejus: et Zachariæ II: Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, et Angelus alius egrediebatur in occursum ejus.* De eorum mira celeritate est illud Job I, ubi diabolus dicit: *Circuivi terram, et preambulavi eam: et Isaiæ VI: Et volavit ad me unus de Seraphim: et Isai. XVIII: Ite Angeli veloces: Psalm. CIII: Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem: Danielis XIV: Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui: quod utique magnam celeritatem designat, sicut etiam quod frequenter descendant de cœlo in terram, sicut dicitur Matth. XXVIII: *Angelus autem Domini descendit de cœlo: Joan. V: Angelus autem Domini descendebat de cœlo.* Multa etiam mirabilia per Angelos fieri in multis capitibus Apocalypsis demonstratur, quæ longum esset referre. Similiter posse plures Angelos esse in valde parvo spatio, vel corpore constat ex illo Lucae VIII, ubi dicitur: *In eodem homine fuisse legionem dæmoniorum, quia intraverant dæmonia multa in eum.* Quod appareant sæpius hominibus, et etiam*

evanescent ab eis, constat, quia Tobia XII, Angelus Raphael videbatur a Tobia patre, et filio: *Et postea ablati sunt ab aspectu eorum, et ultra eum videre non potuerunt: et Judicum VI: Angelus Domini, qui apparuit Gedeoni evanuit ex oculis ejus.* Ex quibus constat substantias angelicas esse superioris virtutis ad ea, quæ in corporibus videmus, et ita habere potestatem mirabilem superiorem ad homines, et ad virtutes corporeas.

Certum est quinto, Angelos esse intellectuales, et liberi arbitrii, et peccabiles. Constat hoc, quia Angelis attribuitur visio Dei, Matthæi XVIII: *Angeli eorum semper vident faciem Patris;* quod utique ad intellectualem cognitionem spectat. Similiter attribuitur illis actus docendi, ut Danielis VIII: *Gabriel fac istum intelligere visionem,* et denique attribuitur actus loquendi I Corinth. XIII: *Si linguis hominum loquar, et Angelorum: et Zachariæ I: Et dixit Angelus, qui loquebatur in me.* Quod etiam sint peccabiles, et pro peccato puniantur, quod non potest esse nisi sint liberi arbitrii, constat ex illo II Petri II: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos: et in epistola Judæ: Angelos qui non servarunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit: et Job IV: In Angelis suis reperit pravitatem.*

QUID DE ANGELIS PER CERTAM CONSEQUENTIAM COLLIGITUR EX SCRIPTURA?

III. Quæ hucusque retulimus de Angelis ita sunt expressa in Scriptura, ut ea negare aperta hæresis sit. Aliqua vero sunt quæ etsi non

ita expresse in Scriptura habeantur, tamen per consequentiam ex his quæ in ea dicuntur, deduci possunt.

Primum est, an Angeli sint aliquo modo corporei, vel puri spiritus. De qua re aliqui dubitaverunt ex antiquis, et etiam ex patribus ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. Aliqui etiam post ipsum Concilium, idem senserunt. Id aperte defendit Rupertus abbas libro I de Trinitate et ejus operibus in caput XI Genesis, et lib. I de victoria Verbi Dei, cap. XXVIII. Inter opinabilia id ponit S. Bernardus lib. lib. V de consideratione: « Quamquam, inquit, de corporibus horum non solum unde sint, sed etiam an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorum. Unde si quis inter opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo. » In id etiam inclinatur homilia V in Cantica: in quam etiam sententiam videntur incidisse illi, qui existimarunt filios Dei, qui Genesis VI dicuntur ingressi ad filias hominum, Angelos fuisse, de quo Lactantius II lib. divinarum institutionum, cap. XIV; Irenæus lib. IV, c. LXX; Philo libro de gigantibus; Josephus, et alii antiqui, inter quos et Tertullianus, cum in libro de velandis virginibus, cap. VII, inquit: « Velandam est facies, quæ usque in cœlum scandala jaculata est. » Omitto plures ex sanctis patribus, qui sæpius videntur dicere, Angelos esse corporeos, ut Nazianzenus, Basilius, Hilarius, Augustinus, et alii, qui tamen non in eo sensu intelliguntur Angelos esse corporeos, sicut in præsentibus loquimur, sed vel intelligunt esse corporeos, sicut in præsentibus loquimur, sed vel intelligunt esse corporeos, id est, subsistentes, verasque substantias, quia apud antiquos res vera nomine corporalis rei designabatur. Juxta quod Paulus dicit ad Colossenses II: *Habitare in Christo pleni-*

tudinem divinitatis corporaliter, id est, vere, et realiter. Vel intelligebant esse corporeos, id est limitatos, et potentiales, quia solum Deum pure incorporeum faciebant, id est, nullo modo potentialem, et hoc sensu cæteras creaturas ita esse corporeas, quod ad Dei immaterialitatem non attingunt. Post Concilium autem Lateranense aliqui auctores videntur Angelis seu dæmonibus aliquod corpus tribuere, ut Cajetanus super caput secundum ad Ephesios ad illa verba: *Secundum principem potestatis aeris hujus, etc.* dicit, consonare veræ philosophiæ quod dæmones sint spiritus aerei, non hujus aeris elementalis, sed quasi subtile corpus nostris sensibus ignotum. Oppositum tamen idem Cajetanus tenet super caput primum ad Hebræos ad illa verba: *Qui facit Angelos suos spiritus*, et in hac prima parte, quæst. L, art. I, et qu. LI, art. I. Tribuntur tamen ista sententia Eugubino lib. I de perenni philosophia, cap. xxvii et xxx, et videndus est Franciscus Georgius libro I problematum, capite LVII et LXXIV.

IV. Dicendum nihilominus est primo ita certum esse, et deduci ex Scriptura Angelos esse omnino spirituales, et sine ullo corpore, quod oppositum omnino est temerarium, et probabile est esse erroneum, et hæresi proximum.

Ratio est, quia absolute Scriptura eos vocat spiritus, et definitio Ecclesiæ videtur intellexisse hanc spiritualitatem in sensu proprio, eo etiam modo, quo anima rationalis definitur esse immortalis, et independens a corpore in Concilio Lateranensi sub Leone X sess. VIII. Constat primum ex Scriptura Psal. ciii, et ad Hebr. I: *Qui facit Angelos suos spiritus*: quem locum adducit S. Thomas in hoc articulo primo in argumento: Sed contra, ad probandum Angelos esse incorporeos,

et ad idem utuntur illo loco multi sancti patres ut Hilarius v de Trinitate, circa finem; Hieronymus supra cap. LXIII Isaiæ; Ambrosius in I ad Hebræos, nec tamen improbabilis est expositio, quæ dicit, ibi sumi spiritum pro vento, seu aere, ita ut sit sensus: Qui facit Angelos suos veloces quasi ventum, et ministros suos quasi ignem, ubi etiam sumitur ignis pro igne corporeo: quæ expositio placuit S. Thomæ super caput primum ad Hebr. I, ubi inquit: « Angelos secundum quod sunt nuntii assimilari aeri, quia nuntii debent bene recipere, et referre quæ nuntiant. secundum vero quod sunt ministri comparantur igni, qui summe est activus, et sic debent esse ministri. »

V. Nihilominus sæpe alias Scriptura nominat Angelos spiritus absolute, et sine comparatione ad aerem vel ventum, ut ad Hebræos I: *Omnēs sunt administratorii spiritu*: Apoc. I: *Et a septem spiritibus qui in conceptu throni ejus sunt*: Lucæ XI: *Assumit alios septem spiritus nequiores se*. Ubi cum simpliciter, et sine addito Scriptura loquatur, sumit illud verbum spiritus in omni proprietate pro substantia spirituali, quia eodem modo vocat Angelos spiritus, sicut Deus, et animæ humanæ spiritus dicuntur, ut Joann. IV: *Spiritus est Deus*, et de animabus nostris Danielis III: *Benedicite spiritus, et animæ justorum Domino*: Matth. xxvii: *Clamans voce magna emisit spiritum*. Quibus locis sumitur spiritus pro substantia spirituali proprie, alias ex istis locis non probaretur sufficienter animam nostram esse spiritualem, et independentem a corpore, sicut definit Concilium Lateranense ubi supra.

VI. Denique quod amplius est, sic videtur intellexisse Ecclesia: definit enim in c. Firmiter, de summa Trinitate: « Quod Deus simul ab initio

temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, et deinde humanam quasi communem ex spiritu, et corpore constitutam. » Ubi pondero Concilium loqui de spirituali creatura pro incorporea, non autem sumere spiritum pro aere, vel corpore subtili, quia condistinguitur spiritualis creatura contra corporalem, ventus autem, seu aer, vel quodcunque aliud corpus subtile sub corporali creatura continetur: ergo spiritualis creatura, quæ est angelica, ut suppositur in Concilio, non sumitur pro spiritu, qui est corpus subtile. Unde multo minus probari debet, quod aliqui dixerunt, Angelos ex aere esse factos, cum Concilium dicat spiritualem creaturam, sive angelicam, de nihilo esse factam. Et denique pondero loqui Concilium de angelica, et spirituali creatura, non composita ex admixtione alicujus corporis, sed ab omni corporeitate absoluta, quia condistinguit ab illa creaturam humanam ut constitutam ex spiritu et corpore: ergo supponit quod illa quam dixerat spiritualem et angelicam, non est constituta ex spiritu et corpore, alias esset sicut humana creatura: ergo cum dicatur spiritualis creatura, non corporea, erit spiritualis pure, non autem composita ex spiritu, et corpore.

Ex quo colligitur hanc veritatem ita esse certam quod opposita plus quam temeraria est, et vel erronea, vel proxime ad hæresim accedens, eo quod Concilium videtur omnia illa sub definitione sua comprehendere, nec solum obiter tangere. Dicit enim in initio totius clausulæ sic: « Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, etc. » quæ verba ad definitionem pertinent; et sic quæcumque sub illa clausula comprehenduntur, et ad illam pertinent, sub eadem

confessione, et definitione comprehendendi videntur. Concilium autem sub ista clausula cum eodem tenore verborum ponit ea quæ spectant ad Trinitatem Personarum, et attributa divina atque illa quæ pertinent ad creationem rerum spiritualium, et temporalium, dicendo unum universorum principium, creator spiritualium, et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, quæ omnia eodem tenore verborum dicuntur, ac proinde eodem modo videntur sub illa definitione comprehendendi, nec est aliquod verbum in tota serie textus, propter quod dicamus quædam verba illius clausulæ definitionem fidei importare, alia vero non.

VII. Cæterum non est omnino certum rem hanc esse definitam ab Ecclesia, quia directe intentio Concilii solum est definire Deum esse universalem rerum omnium creatorem in initio temporis. Quam universitatem creaturarum comprehendit Concilium sub creatura corporali, spirituali, et ex his composita. Quomodo vero creatura illa quæ spiritualis dicitur, spiritualis sit, an per omnimodam separationem a corpore, an cum aliqua corporis inclusione, non videtur pertinere ad intentionem Concilii, sed obiter tangi. Et sic existimant graves auctores rem hanc nondum esse definitam ab Ecclesia, ut Cano lib. v de locis, c. v, qu. IV, in fine; Sixtus Sennensis lib. v bibliot. annotatione VIII; Carranza annotat. ad septimam Synodum, actione v; Suar. lib. I de Angelis, c. VI; Vasquez disp. CLXXVIII, c. II, et D. Thomas disp. XXIX, c. XCI, in fine, licet pro errore damnet eos, qui dicunt spiritum non esse, non tamen vocat errorem, positionem eorum, qui dicebant nullum spiri-

tum sine corpore dari, præter Deum. Res tamen ad minus temeraria est, vel etiam, ut diximus, erronea, quia Concilium multum in id ponderat, et est jam communis theologorum sententia, præter supra relatos. Sed quia possent aliqui subterfugere dicendo Angelos esse quidem spiritus, sed non alios quam animas hominum separatas; ideo contra hanc positionem.

VIII. Dicendum est secundo, de fide esse aut saltem per evidentem consequentiam ex principiis fidei deduci, Angelos, de quibus loquitur Scriptura, et de quibus loquimur in præsentia non esse animas separatas a corporibus humanis; sed distinctas substantias separatas. Circa hoc videtur errasse Philo in libro de gigantibus, qui Angelos, genios, et animas non re differre, sed nominibus dixit. Origenes etiam sensit animas, et Angelos esse ejusdem speciei, et ab initio æquales fuisse creatos, sed ex diversitate meritum processisse, quod quidam spiritus sint missi in corpora, eisque uniti, alii non. Contra quem videndus est S. Thomas I p. q. LXXV, art. VI, et II contra gentiles, c. XCIV. Sed et S. Chrysostomus in octavo capite Matthæi dicit: «Esse perniciosum dogma dicere quod animæ morientium fiunt dæmones,» ut refert S. Thomas opusc. xv, capite ultimo. Ostenditur autem per evidentem consequentiam esse contra Scripturam hunc errorem, quia de fide constat omnes homines esse resurrecturos, I Corinth. xv: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*: ergo in unoquoque homine erit sua anima, quæ separata fuit per mortem, et suum corpus, alias non resurgeret idem homo numero, qui vixit. Rursus constat quod resuscitatis omnibus hominibus adhuc dabuntur Angeli, et dæmones: ergo Angeli, et dæmones

aliquæ substantiæ sunt præter omnes animas hominum. Erunt quidem Angeli, tum quia: *Venturus dicitur Christus in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum*, Lucæ ix; ille autem adventus erit in resurrectione omnium hominum; tum quia Matth. xxii dicitur quod: *In resurrectione non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in cælo*: ergo Angeli distincti erunt ab hominibus, et animabus, etiam post resurrectionem. Similiter dæmones diversi erunt ab hominibus damnatis: nam post resurrectionem dicitur ipsis damnatis: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*, Matth. xxv; ergo præter homines resuscitados, quibus illa verba dicentur, et consequenter præter animas eorum, dantur aliqui spiritus, qui sunt dæmones.

IX. Dicendum est tertio esse de fide, vel per evidentem consequentiam ex principiis fidei deduci angelicam creaturam esse omnium supremam inter eas quæ a Deo conditæ sunt inter substantias universi. Nam sicut dicit Augustinus XI de civitate, c. xv: «Angelica creatura omnia cætera, quæ Deus condidit naturæ dignitate præcedit.» Constat hoc, quia Angeli sunt perfectiores natura corporea, quia sunt perfectiores natura humana, juxta illud Psalm. viii: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*: et II Petri II: *Angeli virtute, et fortitudine cum sint majores*, homo autem est perfectior omni creatura corporea: ergo si Angeli sunt supra homines, sunt supra omnem creaturam corpoream, et consequenter supra omnem creaturam simpliciter, quia omnis creatura vel est corporea, vel incorporea, vel ex illis composita, ut homo, sicut dicitur in Concilio Lateranensi in can. Firmiter de summa Trinitate. Minor probatur, nam respectu creaturæ corpo-

reæ corruptibilis, et pertinentis ad hæc inferiora, constat hominem esse superiorem illis, juxta illud Genesis I: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra*: et Psal. viii: *Omnia subiecisti sub pedibus ejus*. Unde etiam sequitur quod sit superior corporibus cælestibus; tum quia cælum ordinatur ad serviendum homini pro habitatione, ubi erunt corpora sanctorum post resurrectionem; tum quia Deuteron. iv dicitur: *Non esse adorandum solem et lunam, et omnia astra cæli, quia creata sunt in ministerium omnium gentium*; quod utique ministerium inferioritatem dicit, quia adorationem, seu cultum non admittit. Angeli autem licet dicantur missi in ministerium, tamen adorari passim in Scriptura inveniuntur, sicut Gen. xviii Abraham adoravit tres Angelos, et Josue v: *Cecidit pronus in terram, et adoravit Angelum*: ergo certum est Angelos esse superiores cælis, et aliis creaturis corporalibus, ac etiam ipsis hominibus: ergo sunt supremi omnium creaturarum.

X. Quod si dicatur: Unde constat nobis de fide, quod supra Angelos non sit aliqua alia creatura simpliciter perfectior, sicut per gratiam Beata Virgo, et humanitas Christi excedunt omnes Angelos, respondetur id constare manifeste ex definitione citata Concilii Lateranensi, c. Firmiter: ibi enim definitur Deum esse principium omnium creaturarum, dicendo, quod: «Est unum omnium universorum principium, creator omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium, et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spi-

ritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem spiritu et corpore constitutam.» Ex quo fit argumentum: Concilium numerat in hoc loco omnia genera creaturarum, alias non sufficienter ostenderet Deum esse creatorem omnium, si omitteret aliquam creaturam supra omnes istas; sic enim non ostenderetur Deus esse creator illius. Sed inter omnes quas hic numerat, angelica est suprema, ut probatum est: excedit enim corpoream, et similiter constitutam ex corpore, et spiritu, qualis est homo: ergo est suprema inter omnes creaturas simpliciter. In cujus etiam confirmationem dicitur Job. xl loquendo de diabolo: *Ipse est principium viarum Dei*, id est, omnium processionum Dei ad extra primus.

XI. Dicendum est quarto, deduci per consequentiam, magis probabilem, et fere certam, Angelos non esse creatos ante hoc universum, quantum ad tempus suæ creationis, neque extra hoc universum, sed in cælo, quantum ad locum. Et quidem non fuisse creatos ab æterno, certa fides est, cum nulla creatura fuerit ab æterno, sed in principio temporis ut definitur in Concilio Lateranensi citato: «Utramque Deus in initio temporis de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam et mundanam.» Quando vero creati fuerint Angeli determinate, supponendo quod non sunt ab æterno, an in eodem tempore, quod istud universum, an vero ante creaturam corpoream, non est ita certum, quod oppositum sit reputandum erroneum, ut expresse docet S. Thomas infra qu. LXI, art. III, præcipue propter sententiam S. Gregorii Nazianzeni et aliorum doctorum Græcorum, qui, ut ibi S. Thomas dicit ad primum omnes hoc